

ad Ann 20<sup>e</sup> Anni 1810

17<sup>e</sup> III. Martij

AB

## REGNUM MORTUORUM.

Nro. 15.

### *Politica Mortuorum Colloquia.*

Elysium-Meum. Die Martis .13. Mar. 1810. (Neov. 23. Feb. 1810.)

#### *Verba in Vocabulario.*

Orator, m. qni publice ad Concionem dicit. Cic. Declamator, tumultuans, Cic. Buccinator Hier. — jam quaeritur: ad quod genus horum significatum referuntur nostrae actatis declamatoria?

#### *De hodiernis Declamationibus.*

Qui nuper admodum Stygiam transgressi paludem Manes, multa de more hodie in superiore mundo receptis declamationibus verba faciunt — quaerebatur, quid *Declamatio*?

Oratorum princeps, qui multa de arte Oratoria scripsit, aiebat: quamvis animae motionem naturalem suam habere vim explicandi, partim in vultu, partim corporeis motibus, partim in voce — declamatio igitur in genere est ars, propositionem vocis, vultu, gestis animandi, & quidem naturae ad leges prorsus exacte, quae cuiusvis animae motioni certas sibi accomodas naturales explanationes, voci, vultui, gestibus assignavit.

Declamatio Romanorum in auribus nostris ingratum, peregrinumque sonum facile excitare potuisset; Cicero ait: declamatione voci novam modificationem consiliari, si

sensationibus animæ modulationem suam ad-  
commodet; addit: declamationis certam,  
quamquam non excellentis adeo cantus spe-  
ciem comitem esse; at hæc prosodia, tamet-  
si quasdam cantus notas haberet, non ta-  
men erat proprie cantus, quamvis tibia eum  
comitaretur, alias diceretur: C. Græchum  
Orationem suam ad populum decantasse, quod  
ex averso servulum habuerit, qui tibia ei  
tonum indicavit.]

Declamatores Græci Sophistæ erant, qui  
falsa in vera, mala in bona convertere, &  
paradoxa propugnare studuerunt; invenerunt  
ad hunc finem sophismata, captiosam diale-  
cticam, ad probandum: bonum esse malum,  
justum injustum, decorum abominabile! Con-  
stat ut Socrates eos refutaverit, lethaleque  
odium ab eis sibi consciyerit.

Romanos in arte declamatoria se exer-  
citasse, ad nomen in Oratoria obtinendum,  
historia docet; at hæc ipsa causa est Ora-  
toriam defecisse, ut apud Græcos, quod Ora-  
tores ad defendendum argumentum in So-  
phismata lapsi sint. Populus declamatores  
instar Comitorum consideravit.

In multis Statibus Causarum Advocati  
Causas controversas declamarunt, qua occa-  
sione multa quoque sophismata locum ha-  
buere, sæpeque accidit, ut æquissima cau-  
sa perverteretur.

In religiosis solum declamationibus illu-  
stria Eloquentiæ habentur exempla, & hoc  
unum excelsum objectum est: in quo ars

Oratoria conspicua quadam ratione perstitit integra — quis ignorat Clarissimos in hoc genere auctores?

Harum meditationum occasione en! prodit in medium umbra, proferens quæ vita experiebatur comite, in hæc verba :

„Et ego magna veneratione ferebar in declamationes, in hoc argumento quæ meditabar, adnotabam, quem tuli fructum? ubi reperi externæ actionis instituendæ methodum, qua in animas auditorum svavi vocis vehiculo agere, atque in iis affectus motusque excitare datum est? conformatio vultus, gestus, vis, flexionesque vocis — ubi tanta in uno? — hem! pudet dicere, fatendum est tamen — Ubi? — in scenis Sicophantarum, vaniloquorum, circumforaneorum, garrionum, quanta in his vultus conformatio, qui gestus, quæ vex! —

Id genus *Cialartano*, ut Itali adpellant, Neapoli vidi. Describebat, aut rectius loquendo, declamabat morbos, adversus quos pilulas, pulveresque venditabat. Ab exordio cujusvis morbi, usque vehementissimi ejus stadii articulum, imitabatur querimonias, motus, convulsiones, singultus planctusque ægrotorum dexterrime; res erat profecto mira, multi auditorum, ipse ego sensi, ut ita dicam, malum, quod is describebat. Ejus lineamentorum conformatio, ejus gesticulationes, suspirans, gemebunda, & singultiens vox germana ægroti imago erat, postremo — vultum hilarem induit, ajebatque: auctor ne-

turæ adversus omnes morbos herbas, & media produci fecit, quæ ego collegi, — nihil constant, sunt dona Dei, solum pro fatigio meo expeto 6 Gravi (Crucegeros) ut vitam tolerare, & hæc munera colligere valeam."

Alia umbra ex aliquot diebus hæc ad oras adpulsæ, contendebat: Hodie vigentes declamationes intra soles peripatichi, sublimis, & Epopeæ poeticæ limites contineri, eas a declamatione Circumforansorum distinquere, quod probe cordi habendum.

Manes conspicientes Jovis alitem Olympum subeuntem Acroasim faciunt in Odeo politico, seqv. nova in publica pagina legunt.

Parisiis die 18. Febr. Monitor hodie promulgat, propositum die 14. h. Senatui, & hesterno ab eo satihabitu Senatui Consultum. — En! ejus argumentum:

### T i t u l u s I.

*De Unione ditionum Romanarum cum Imperio Gallicano.*

§ 1) Status Romanus cum Imperio Gallico unitus est, efficitque ejus integram partem. 2) Constat is 2 provinciis Departmentis: Romano & Transimeno, 3) prov. Romana legislativi Collegii membra 7, Transimenanum 4 Deputatos censebit. 4) Illa prima, hæc secundæ seriei adscribetur. 5) Erigetur Senatoria in utraque provincia. 6) Urbs Roma secunda est Urbs Imperii. Præfectus Romæ Jurisjurandi præstationi in aditu regiminis Imperatoris interest, tam is, quam Deputati Romæ quibusvis occasionibus præro-

gativa excipiunt Praefectos & Deputatos Urbis Parisiorum 7) Romæ Princeps de Sanguine aut Magnus Dignitarius Imperii sedem habebit, aulamque Imperatoris repræsentabit. 9) Prædia dotationi Cæsarem Coronæ conformiter Senatus Consulto de 30. Jan. destinata, speciali Senatus Consulto definiuntur. 10) Imperatores in Ecclesia: Nostræ Domini Parisiis coronati ante 10 sui regimnis annum in Ecclesia S. Petri Romæ inaugurabuntur. 11) Urbs Roma peculiaribus privilegiis & Immunitatibus ab Imp. Napoleone definendis gaudebit.

*Titulus II.*

*De Independentia Cæsaris throni a quavis in terra.*

12) Omne exterum imperium incompatible est cum exercitio potestatis sacræ intra ambitum Imperii. 13) Pontifices occasione suæ exaltationis iurjurandum nuncupandum habent: nihil se adversum conditas & stabilitas in Synodo Cleri 1682 quatuor propositiones gallicana Ecclesie acturos 14) Propositiones 4 Gallicanæ Ecclesie hæc omnibus Catholicis Ecclesiis Imperii communes declarantur.

*Titulus III.*

*De temporali existentia Papæ.*

15) In diversis Imperii locis, ubi sedem habere et libuerit, ædes pro Summo Pontifice eriguntur. Parisiis Romæque eas habere debet. Assignantur ei a Millionibus reddituum ex prædiis, ab omni præstatione im-

munibus, quæ in diversis Imperii partibus sita sunt. 17) Expensæ in intertentionem sacri Collegii & de Propaganda, hæc pro Casuaris sumptibus declarantur. 18) Præsens Senatus Consultum medio Deputationis Suae Maj. Imp. & Regi transmittetur.

Quatuor Gallicanæ Ecclesie de A. 1682 propositiones sunt sequentes:

a) Potestas a Christo Domino S. Petro & Ecclesie collata, ad spiritualia saltem se extendit, & ad nihil aliud, quam ad salvationem animarum in hac, in altera vita ad salutem eorum extendenda.

2) Ea temporalia nulla ratione *nec directe nec indirecte* concernit.

3) Regimen Ecclesiasticum solum spirituale est, neque Papa, neque alius Ecclesie Præses, seu congregati sint, seu non, se in temporalia Jura regum, & secularem Jurisdictionem ingerere possunt.

4) Potestas Papæ, ut capitis Ecclesie Catholicæ in sacris non plene absoluta, & illimitata, verum per receptos Canones, & usitatas Imperii consuetudines temperata est, proin secundum hos Canones, & consuetudines exercenda. Eapropter omnes Bullæ examinandæ, & publico actis Parlamenti inserto Diplomate providendæ.

Monitor complectitur in pluribus supplementaribus foliis rationes super ærariali administratione Anni 1808. Animadvertitur in iis, crudum redditum Arendæ, Registrationis & Domniorum efficere 230,882,544

Fr. crudum proventum telonii 18,555,699  
 Fr. Postæ proventus 23,243,160 Fr. purus  
 Lotteriæ 12,504,479 Fr. combinatæ præsta-  
 tiones puri redditus dabant 76,740,000 Fr. Neo  
 susæ monetæ 527,479,880 Fr. directæ præ-  
 stationes efficere 362,086,731 Fr. prov. Roer-  
 de ex hac summa 5,120,219 Fr. Rhenana &  
 Mosana 1,943,942 Fr. prov. Saravi 1,802,648  
 Fr. Donnersbergæ 3,448,191 Fr. Nuncium  
 Edictum debita publica æstimat ad 111,190,153  
 Expensæ pro Lista Civili, & Gallicis Prin-  
 cipibus efficit 26,000,000 Fr. pro Ministerio  
 iustitiali 32,500,000 Fr. pro Collegio negot.  
 ext. 8,500,000 Fr. pro Ministerio neg. int.  
 59,750,000 Fr. pro ærariali 23,328,000 Fr.  
 thesaurarii publici 8,750,000, Belliolum  
 190,149,000 Fr. administrationis bellicæ  
 150,000,000 Fr. rei maritimæ 14,000,000 Fr.  
 Politicæ Universalis 1,200,000 Fr. Cultus di-  
 vini 14,000,000 Fr. Expensæ negotiationum  
 erant, 8,000,000 Fr. & fundi reservati  
 2,912,747 Franc.

Decretum Cæsareum de 12. Febr. de-  
 nominat Consiliarium Status Portalis Gene-  
 lam rei commercialis librarie Directorem.

*Confluentia* 14. Feb. Dignabatur Sua Maj.  
 Imperator D. Gayer Praetorem Confluentiæ  
 & D. Hartung Praetorem Mayen membra  
 Legionis honorariæ denominare. Praefectus  
 provinciae nostrae hac occasione usus est,  
 ad Enciclicas edendas seqv.

„Inter omnes honorificas contestationes sibi  
 a prov. factas nullam honorificentiore fuisse

illa, per quam duo Praetores Urbani praerogativa donati sunt, quae ad hoc tempus Praetoribus 36 urbium bonarum titulo insignitis delata; quamque tot primae Classis Officiales militares, qui 20 in praeliis eminebant adhuc expectant. Si quae legio virtutis prodigia edidit, mille praecellosos milites Imperator remuneratur, dum binis insigne honoris adpendet cum duobus Praetoribus Urbans Zelo muneris excellentibus insignia confert, praemiat una totius provinciae fidem, & quisque partem capit in gloriosa praemiatione, prout quis nostrum fidelitatem, per quam eam promeriti, cum illis partitur."

Nuncium: carum nobis Praefectum Lezay-Marnesia Praefecturae inf. Rheni adnotum esse, provinciae nostrae moriori cessit.

*Berolimo 15. Feb.* Colonelles C. Lottum Ref. munere abdicavit, Gen. D. creatus, eique Col. Haake successus est. Col. Vorstel Gen. Adjutor, C. Henkel & Luc alarum adjutores denominati; fertur nova legio pedestris erigenda.

Museum Werkmeisterianum Diariorum Ephemeridumque legendarum, 180 eorum, volantesque Chartas politici litterarique valoris conductas habet.